

COOPERATIO REMOTA IN ORDINE PHYSICO AD OBIËCTIVAM REDEMPTIONEM

Prodiit nuper editio tertia tractatus *De Beata Virgine* (Romae, 1939), quem ad usum auditorum concinnavit cl. P. H. Lernerz S. I., in Pontificia Universitate Gregoriana Theologiae professor. Non mihi nunc propositum est, ut solitam libri recensione instituum: eam modo libri partem velim attingere, quae et mea et aliorum maxime interest: eam nimirum, in qua cl. auctor suam sententiam proponit ac tuetur de Virginis cooperatione ad redemptionem. Neque omnia complectar, quae ad istam cooperationem pertinent, sed illa tantum, quae "cooperationem remotam in ordine physico ad obiectivam redemptionem" respiciunt. Ut hisce limitibus meam inquisitionem circumscribam, hae me rationes movent: quod ista theoria de physica remota cooperatione sit maxime nova; quod positivam auctoris solutionem contineat; quod illa tractanda, totum simul problema radicaliter comprehendatur. Ceterum praestat, unum accurate, quam plura leviter cursimque tractare. Et brevitatis ipsa, qua rem totam auctor perstringit, illud commodum afferet, ut ipsa ipsius verba recitari queant.

Iam, ut egregii theologi mens certo attingatur, tria sunt, quam fidelissime poterit, exponenda: 1) quo pacto ipse quaestionem concipiat ac statuatur; 2) quid de re sentiat ac teneat; 3) quibus argumentis suam firmet sententiam. De quibus singulis, quid nobis videatur, sincere aperiemus.

I. QUAESTIONIS STATUS DEFINITUR

Tribus praesertim modis dici solet B. Virgo ad hominum redemptionem esse cooperata: divinam Redemptoris maternitatem suscipiens, iuxta crucem Christo Redemptori adsistens atque compatiens, in caelis pro nobis iugiter intercedens. Solum nunc primum cooperationis modum seu actum examinandum suscipimus. De eo

ut quid sentiat ac teneat P. Lennerz, plane intellegamus, terminorum declarationem ab eo mutuabimur.

Et primum quidem "bene distinguenda est *redemptio obiectiva*, id est ipsum opus redemptionis quod Christus in cruce perfecit, et *redemptio subiectiva*, id est applicatio fructuum huius operis" (n. 157).

"Cum distinguenda sit redemptio obiectiva et subiectiva, iure quoque distinguitur cooperatio ad redemptionem obiectivam et ad redemptionem subiectivam.

Ad redemptionem obiectivam cooperatio potest esse vel *remota*, id est ad ea, quae ipsum definitivum actum redemptionis, oblationem sacrificii crucis, antecedunt, sed ad eum ordinantur et perducunt; vel *proxima*, id est immediate ad ipsum actum definitivum redemptionis, ad ipsam oblationem sacrificii crucis. Utraque potest esse vel *in ordine physico* vel *in ordine morali*. Vix opus est addere non quaeri de cooperatione materiali, sed de formali, per actus liberos ad finem redemptionis ordinatos.

Cooperatio *remota in ordine physico* esset libera physica cooperatio ad hoc, ut ipsa Incarnatio fieret, ad praeparationem victimae, Redemptoris; *remota in ordine morali* esset, impetrare vel mereri ipsam Incarnationem vel redemptionem" (nn. 161-162).

Perspicuam quaestionis expositionem, nitidam terminorum declarationem, non possumus quin probemus, laudemus. De ipso autem terminorum usu seu significatione liceat dubia quaedam proponere.

* * *

Obiectiva et subiectiva redemptio. Quod in redemptione duo distinguantur: et opus ipsum redemptionis, et applicatio fructuum huius operis, multo magis placet quam alia illa divisio in gratiarum *acquisitionem* et earum *dispensationem*; quae divisio merito ab auctore reiicitur (n. 164). Duo tamen in auctoris divisione minus placent: in *obiectiva redemptione* non placet omnino nimia *rei* restrictio seu coarctatio, in *subiectiva redemptione* ipsius *termini* usus.

Obiectiva redemptio dicitur "ipsum opus redemptionis quod Christus *in cruce* perfecit". Iam, *in cruce* Christus *consummarit* quidem opus redemptionis, *inauguravit* autem seu exorsus est, et

quidem vere ac proprie, multo ante, immo ab ipsa Incarnatione. Scribit Apostolus: "Ideo ingrediens mundum dicit:

Hostiam et oblationem noluisti:
 corpus autem aptasti mihi:
 holocausta <et> pro peccato
 non tibi placuerunt.
 Tunc dixi: Ecce venio:
 in capite libri scriptum est de me:
 ut faciam, Deus voluntatem tuam.

...In qua voluntate sanctificati sumus per oblationem corporis Iesu Christi <in> semel" (Hebr. 10,5-10). Sive ille ingressus in mundum intellegitur de Incarnatione sive de Nativitate, utrovīs modo Christi voluntas crucem prospectans eamque amplectens, quae voluntas est potissimum redemptionis elementum, adest iam ab ipso vitae exordio. Praeterea, in Symbolo Nicaeno-Constantinopolitano dicitur "Qui... *propter nostram salutem* descendit de caelis et *incarnatus* est". In sacra Liturgia recitatur: "Quibus beatae *Virginis partus* exstitit *salutis exordium*". Similia frequentissime occurrunt et in liturgicis monumentis, sive orientalibus sive occidentalibus, et in patristicis documentis. Cuius rei innumera possumus exempla proferre. In specimen S. Bedam producimus, qui antiquiorum, ut solet, Patrum sententiam referens, homiliam in festo Annuntiationis his verbis orditur: "*Exordium nostrae redemptionis...* hodierna nobis sancti Evangelii lectio commendat" (ML 94, 9). Haec redemptionis extensio seu ampliatio non caret momento. Si enim ad solam crucem coangustatur, tunc maternitatis susceptio solum remota redemptionis cooperatio forte dicenda est; sin vero iam ab ipsa incarnatione initium habet, tunc forte proxima sit appellanda. De quo plura deinceps.

Nomen *redemptionis subiectivae*, variis de causis, non videtur idoneum. Aliis praetermissis, illud praecipue disciplet quod simplex fructuum redemptionis applicatio vocetur *redemptio*, eodem modo eodemque quasi iure atque opus ipsum redemptionis: quasi *redemptio* esset terminus genericus vereque univocus, qui in duas species divideretur *obiectivae* ac *subiectivae* redemptionis. Hoc autem non est verum; sed *redemptio*, prout est communis et operi ipsi et eius applicationi, est terminus *analogus* (analogia attributionis). Aliis verbis: distinguendus est in verbis *sensus* et *usus*, vel si pla-

cet, sensus *proprius* et sensus *alienus* seu aliunde translatus. Sensus simpliciter (vel sensus proprius) est innata verbi significatio (et, si multiplex esse potest, dicentis intentione determinata); usus vero (vel sensus alienus) est verbi applicatio seu extensio ad alias res cognatas ratione similitudinis, causalitatis... Ista distinctio non est mere speculativa, sed valde practica. En casus valde frequens. Adhibetur in oratione terminus habens duas significationes *proprias*. Ut dignoscatur utra sit eligenda, applicantur communes interpretationis normae. At pro priori ad istam applicationem, *praesumptio* neutri favet: utraque est enim propria iisdemque iuribus gaudet. Exempli causa: dicit Apostolus: "*Finis...* legis, Christus" (Rom. 10, 4). Quaeritur: cum *finis* significare possit vel extremam partem (seu rei cessationem) vel scopum, utra est significatio hoc loco praeferenda? Afferuntur rationes, cur eligenda sit haec vel illa interpretatio; at vero pro priori ad istas rationes pro neutra stat *praesumptio*: utraque est enim aequae possibilis. En casus oppositus, non levis momenti. Dicit Christus Dominus: "Caro... mea <verus> est cibus" (Ioh. 6, 55). Hic non agitur de duobus sensibus propriis, quos habeat idem verbum "cibus", et inter quos sit eligendum; sed de duobus usibus eiusdem termini, altero proprio, altero alieno (translato, metaphorico). Iam, in isto casu, pro priori ad rationes hermeneuticas conditio seu ius utriusque usus non est aequale, sed *praesumptio* favet usui proprio, qui tenendus est, nisi positive contrarium demonstratur. Nimirum, cum terminus "cibus" (quantenus dicitur de proprio cibo vel de metaphorico) sit *analogus*, stat illud antiquorum effatum: "Analogum, per se sump-tum, stat pro famosiori analogato".

Sunt alia etiam considerata. Divisio ista redemptionis in *obiectivam* et *subiectivam* est recens et Patribus antiquioribusque theologis ignota, quod sciam; non quod rem ignorarent, id est, non quod non distinguerent inter redemptionis opus eiusque fructuum applicationem; sed quod istam applicationem non vocabant *redemptionem subiectivam*. Ubi accurate rem declarare cupiebant, fructus redemptionis vel cruenti in cruce sacrificii commemorabant. Ita Concilium Tridentinum, agens de eucharistico sacrificio: "Cuius quidem oblationis (cruentae, inquam), *fructus* per hanc incruentam uberrime *percipiuntur*" (Sess. 22, cap. 2. Denz. 940). Similiter oratio in festo Ssmi. Corporis Christi, a theologorum

principe composita, ita concluditur: "ut *redemptionis* tuae *fructum* in nobis iugiter sentiamus". In Summa vero theologica idem Angelicus de Christi redemptione agens (3 q. 48, aa. 4 et 5), unum cogitat redemptionis opus.

Dixeris forte: saepe Patres redemptionem vocant ipsius fructuum applicationem. Verum quidem est; at non quod termino "redemptionis" eam, quasi propriam, significationem tribuerent, sed quia eidem termino translatum usum seu metonymicum adhibebant. Nimirum formula ista "redemptio subiectiva" est quasi moneta recens procusa, quae hodie in theologico commercio datur et accipitur. Sit ita sane. At moneta ista antiquis erat ignota; et forte non probaretur. Non est ergo legitimum istam formulam usurpare ad antiquorum scripta interpretanda. Quod ipsis erat simplex usus metonymicus, in nova formula transit in sensum proprium. Tractare autem metonymicum usum tamquam proprium sensum, non licet. Certe ista formula est aptissima ad eos Patrum textus infirmandos vel eliminandos, qui Virginis corredemptioni videntur favere. At tanta commoditas suspicionem generat, ne forte ista formula ideo sit excogitata et invecta, ut *difficultas*, quam nonnullis illi textus creant, facile expediatur.

Sed quidquid est, velim tandem singulare prorsus factum notare, quod aliquos fugisse videtur. Termini "Redemptor", "redemptio", "redimere" saepissime dicuntur de Christo; iidem, vel alii affines, frequenter etiam de B. Virgine; de ceteris sanctis vel vix vel numquam. Quaero: si isti termini, B. Virgini applicati, tam facile ac frequenter de *subiectiva redemptione* intelleguntur, cur non etiam facile ceteris sanctis tribuuntur? Clarius: si redemptio, de Christo dicta, est *obiectiva*, cur, ad Virginem derivata, transit in *subiectivam*? Et cur, semel facta *subiectiva*, sistit in Virgine nec ad ceteros sanctos derivatur? Quod mirabilius existit, si titulus *Redemptoris* cum *Mediatoris* titulo comparatur. Quamquam Christus tam emphatice dictus est a Paulo "unus... Mediator Dei et hominum" (1 Tim. 2,5), nimirum unus principalis seu primarius Mediator, nihilo minus nomen istud, in sensu quidem humiliori, communicatum est non modo B. Virgini, verum etiam ceteris caelitibus universis. Quidni pariter nomen "redemptoris", si eius sensus ita attenuatus est, si meram *subiectivam* redemptionem significat?

* * *

Cooperatio remota et proxima. Divisionem istam eiusque nitidam explicationem libenter admittimus. Immo laudamus ac plaudimus, quod Virginis cooperatio ad ea quae crucis sacrificium praecedunt illudque respiciunt, hoc pacto in bono lumine colloceatur. Solum nomina ipsa "remota" et "proxima", utpote ambigua, periculum est ne aut confusionem generent, aut in deteriorem etiam sensum detorqueantur. Ad periculum istud declarandum, sit illud effatum: "Quod est causa causae, est causa causati". Hoc effatum duos potest habere sensus essentialiter diversos, qui hac duplici propositione possunt efferri: a) "Quod est causa causae, ut *existentis*, est causa causati"; b) "Quod est causa causae, ut *operantis*, est causa causati". In propositione a) causalitas prioris causae in ultimum effectum est omnino impropria vel potius nulla; in propositione b) prioris causae causalitas est vera prorsus ac propria. Ratio est manifesta. Nam in a) altera causa agit independenter a priore, cuius nec virtus nec actio ullo modo effectum attingit; in b) vero altera causa agit praecise ut mota a priore, cuius proinde et virtus et actio ad effectum pertingit. Hoc posito, quaeritur nunc: ista ultima causalitas, quae mediante altera causa exercetur, quomodo vocanda est? *Remota* an *proxima*? Neutrum caret incommodis. Quominus vocetur *remota*, videtur obstare periculum, ne ista causalitas, quae vera est ac propria, censeatur mere indirecta et consequenter impropria; quominus vocetur *proxima*, videtur obstare alterius causae interpositae praesentia et actio. Si vocatur *remota*, non deerit, qui causalitatem istam veram cum conflictu illa causalitate a) confundat; si vocatur *proxima*, potest etiam confundi cum causalitate illius causae, quae, per se ipsa, altera causa minime mediante, producat effectum. Fatendum est ad istas perplexitates vitandas non invaluisse apud theologos certum quendam ac fixum terminorum usum.

Haec de terminorum vi seu proprietate; eorum autem electio seu applicatio, cum veritati ac naturae virgineae cooperationis debeat cohaerere seu accommodari, non potest ante decerni, quam huius cooperationis indoles definiatur; quae praesertim sitne moralis an physica, diligenter est perpendendum.

* * *

Cooperatio physica et moralis. Dolendum est P. Lennerz non accurate istam partitionem declarasse, nec quibus actibus physicam, quibus moralem causalitatem adscribat, clare et aperte dixisse. Mens ergo ipsius est exploranda.

In ipsa terminorum explicatione ait: "Cooperatio... *remota in ordine morali* esset impetrare vel mereri ipsam Incarnationem vel redemptionem" (n. 162). Unde in impetratione ac merito moralem causalitatem agnoscit. Deinde, ubi de re ipsa agit, istam "cooperationem *remotam* ad redemptionem obiectivam *in ordine morali*" B. Virgini attribuit, quatenus "impetrare vel mereri" potuit (n. 277). Impetrationem et meritum ad moralem ordinem pertinere manifestum est prorsus. At statim occurrit dubium: quid censendum est de oboedientia Virginis, quid de consensu, in divina Redemptoris maternitate suscipienda? Ista duo, oboedientia et consensus, videntur in morali ordine versari: tamen duo ista memorantur, ubi agitur "de cooperatione *remota in ordine physico*" (n. 274-276). Et oboedientia quidem, cum aliqua ei videatur adscribi causalitas, physicam consequenter causalitatem importet necesse est: in ordine ergo physico consideratur. Quod mirum est. Aliter dicendum de consensu. Nam, licet commemoretur ubi de physica causalitate est sermo, tamen, cum nulla ei in ordine physico causalitas adscribatur, non inde sequitur consensum in ordine physico versari. At ubi de *moralis* cooperatione proxima ad redemptionem obiectivam agit, consensum commemorat (nn. 163 et 280), aitque: "Si B. Virgo consensu suo Filium determinasset ad opus redemptionis perficiendum, esset causa *moralis* huius operis" (n. 280). Ergo consensus ad moralem ordinem pertinet moralemque cooperationem importare potest. Quod unum nobis sufficit.

Ne deinceps oriatur confusio, breviter declarandum est quid sit *physica* cooperatio, quid *moralis*. *Physica* est quae per physicam causalitatem exercetur; *moralis*, quae per moralem causalitatem. Unde causa *physica* illa est quae physica causalitate; *moralis* vero, quae morali causalitate effectum operatur. Quod si una eademque causa simul per se utramque causalitatem exercet, dicenda est causa *physico-moralis*. Haec omnia clara sunt, praeter unum fortasse:

quid sit *esse physicum*, quid *esse morale*. Optime hoc declarat Suárez (*De act. hum.*, tract. 3, disp. 1, sect. 2, nn. 15-16), ad quem lectores remittimus: nos hic simplicius dicemus causam *physicam* esse illam quae per se suaque virtute effectum operatur; *moralem* vero, quae moralibus actibus (imperio, prece, consilio, consensu...) alteram causam inducit seu movet ad illum operandum.

* * *

Cooperatio materialis et formalis. En alia divisio, prima specie perspicua, sub qua tamen gravissimae quaestiones latent. Cooperationem *formalem* P. Lennerz videtur eam intellegere, quae perficitur "per actus liberos ad finem redemptionis ordinatos" (id est, credo, "ad redemptionem tamquam ad finem ordinatos", potius quam "ad finem redemptione intentum ordinatos"); et si est *remota*, versari debet circa ea, quae, licet "ipsum definitivum actum redemptionis antecedunt", tamen "ad eum ordinantur et perducunt" (162). Declarationem istam, utpote valde aptam, amplectimur, immo pressius, ad illius mentem, nisi fallimur, adstringimus hisce definitionibus: *formalis* cooperatio est illa, quae per actus liberos exercetur ad finem intentum *per se* et natura sua ordinatos; *materialis* vero est illa, quae per actus (etiam non liberos) exercetur ad finem ab alio (non a se) intentum *per accidens* et casu conducentes.

II. SENTENTIA PROPONITUR AC DEFINITUR

Sententiam suam proponit P. Lennerz post argumentorum expositionem, conclusionis instar. At quia nostra maxime interest vim argumentorum expendere, haec autem vis probe aestimari non potest, nisi prius bene cognoscitur planeque intellegitur thesis ipsa, ad cuius demonstrationem illa afferentur, ab huius thesicos seu sententiae enuntiatione nobis ordiendum esse duximus. Claritatis gratia partes seu membra in ea distinguemus.

"Ergo conclusio: 1) Beata Virgo remote physice cooperata est ad redemptionem obiectivam — 2) eo quod libere facta est mater Redemptoris eumque aluit et erga ipsum praestitit, quae mater

exhibet filio. — 3) In hoc videtur consistere principalis et maxime fundamentalis cooperatio B. Virginis ad obiectivam redemptionem. — 4) Haec est illa cooperatio, quae in tota traditione constanter affirmatur, — 5) neque de hac re controversia existit inter catholicos” (n. 276).

1) “Beata Virgo remote physice cooperata est ad redemptionem obiectivam”. Tribus verbis “remote”, “physice”, “obiectivam”, determinatur indoles cooperationis ad redemptionem, quae Virgini in hac conclusione tribuitur: a) agitur de cooperatione ad redemptionem *obiectivam*, id est, ad opus ipsum redemptionis; b) de cooperatione tamen *remota*, id est, non ad ipsum redemptionis actum definitivum, sed ad ea, quae ipsum antecedunt et ad ipsum ordinantur et perducunt; c) quae cooperatio ad ordinem *physicum* spectare dicitur. Tres istae cooperationis proprietates bene notandae ac retinendae.

2) Talis cooperatio, Virgini tribuenda, consistit in “eo quod libere facta est mater Redemptoris eumque aluit et erga ipsum praestitit, quae mater exhibet filio”. In hac oratione, sive explicativa sive causali, duo modi vel duae rationes cooperationis distinguuntur: a) libera Redemptoris maternitas seu generatio, b) sedulitas in maternis omnibus officiis obeundis. Prior cooperationis modus subobscurè proponitur: “*libere facta est mater*”. Quod “*facta est*” exhibet *passivum* maternitatis aspectum, cui videtur respondere activa Spiritus Sancti operatio. Quod autem “*libere*” facta est mater, idem est quod paulo ante dicitur: “libere Deo obediendo B. Virgo facta est mater Redemptoris” (n. 274). Iam, perpendamus quomodo in his verificentur illae cooperationis proprietates ante notatae. Quod duo isti cooperationis modi *obiectivam* redemptionem respiciant, et quidem (in sensu auctoris) *remote*, manifestum est; quod vero in ordine *physico* contineantur, non est ita clarum. Nam maternitas ipsa seu generatio *passive* effertur; *cooperatio* vero, si verbi vis retinetur, esse debet *activa*. Sine dubio sub expressione passiva intellegit auctor physicam activitatem maternitati seu generationi inhaerentem. Ita nos etiam intellegimus; sed expressio forte poterat esse clarior. Ergo *physice* cooperata est B. Virgo per maternitatem. Sed quid dicendum est de *libera oboedientia*? Pertinet ad ordinem *physicum*? Non videtur; immo videtur contrarium: liberam oboedientiam esse actum stricte *moralem*. Un-

de dilemma : aut libera oboedientia computatur ut *formalis* cooperatio, aut non. Si computatur, iam Virginis cooperatio non est mere *physica*, sed etiam *moralis*; sin vero non computatur ut *formalis* cooperatio, tunc ne ipsa quidem maternitas poterit esse cooperatio *formalis*, quae haberi non potest nisi "per actus liberos ad finem redemptionis ordinatos" (n. 162). Quod autem dicitur de maternitate, dicendum est quoque de subsequentibus officiis maternis, in quibus praeter *physica* elementa adsunt multa elementa *moralia*. Quare tandem, Virginis cooperatio quae in maternitate vel per maternitatem exercetur, aut non est mere *physica*, sed *moralis* etiam, aut dicenda est cooperatio pure *materialis*.

3) "In hoc videtur consistere principalis et maxime fundamentalis cooperatio B. Virginis ad obiectivam redemptionem". Igitur in ordine ad obiectivam redemptionem haec *remota physica* cooperatio est et "principalis" et "maxime fundamentalis". Exsistunt ergo aliae cooperationes, respectu quarum illa *physica remota* dicenda sit "principalis" et "maxime fundamentalis". Iam istae aliae non possunt esse nisi tres: *remota moralis*, *proxima physica* et *proxima moralis*. *Remotam moralem* admittit auctor: humilem quidem cooperationem, quae etiam "de patribus veteris testamenti affirmari potest" nec est propterea B. Virginis peculiaris ac propria. Huius respectu illa *remota physica* potest dici "principalis", at non "fundamentalis", si quidem propria vis verbi retinetur. Nam cum illa *remota moralis* cooperatio per impetrationem ac meritum prior sit et tempore et natura illa *remota physica*, quae in maternitate vel per maternitatem exercetur, non potest ista illius dici fundamentum. Suntne aliae cooperationes quarum respectu illa *remota physica* dici queat "maxime fundamentalis"? Nullae prorsus; nam proximam omnem, sive *physicam* sive *moralem*, excludit auctor (n. 296. Cfr. 278-295, 297-302; 303). Unde verba illa "maxime fundamentalis" omittenda videntur, ne lectorem decipiant. Quare, praetermissa tenui illa *remota morali* cooperatione, quae praeterea ab auctore multis additis limitationibus tantopere deprimitur, una restat *physica remota* Virginis cooperatio ad obiectivam redemptionem.

4) "Haec est illa cooperatio, quae in tota traditione constanter affirmatur". Haec propositio duplicem sensum habere potest: vel positivum vel exclusivum. In sensu positivo, videtur superflua:

nec enim erat ratio, cur factum tam apertum notaretur. In sensu autem exclusivo, qui, nisi nimium fallimur, intenditur ab auctore, non est vera. Quod nunc asserimus, paulo post, ubi ad argumenta excutienda devenerimus, abunde probabimus.

5) "Neque de hac re controversia existit inter catholicos". His verbis significat auctor *remotam physicam* cooperationem esse tam apertam, ut de illa nulla exstiterit, immo nec existere queat, controversia inter catholicos theologos. Quis enim catholicus, immo quis christianus, neget B. Virginem, *physice* Redemptorem generando, ad ipsam quodammodo redemptionem obiectivam *remote* esse cooperatam? Nisi enim esset Redemptor, non poterat esse redemptio. At hoc sufficit?

* * *

Ad sensum propositionis verius intellegendum iuverit ista animadversio, quam paulo post auctor adiungit: "Ad totam hanc remotam cooperationem, sive physicam sive moralem, cum actibus Deo placentibus absolvatur, opus obiectivae redemptionis iam completum supponi debet, cum ex illo opere B. Virgo gratias ad cooperandum necessarias acceperit" (n. 277). Quorsum ista? Nam aut apertam contradictionem involvunt, aut *remotam physicam* illam Virginis cooperationem penitus excludunt. Nimirum, verba ipsa, sumpta ut iacent, contradictionem implicant; dicentis intentio poterat esse, ut, apparenti contradictione, omnis Virginis cooperatio ad obiectivam redemptionem, etiam illa *remota physica*, expungatur omnino.

A verbis ipsis ordiamur. Dicitur "opus obiectivae redemptionis iam completum supponi" debere. Atqui ad opus "*iam completum*" nulla prorsus accedere potest cooperatio, quae non sit superflua, irrita, inanis; quaeque proinde non sit cooperatio. Ergo haberetur cooperatio quae non est cooperatio: pura nimirum contradictio. Eodem isto argumento, saepius iterato, reiicit auctor proximam moralem Virginis cooperationem ad redemptionem obiectivam¹. En eius verba: "Si autem (Virgo) redempta est, fructus redemptionis Christi ei applicati sunt; ergo redemptio obiectiva

¹ Hanc difficultatem aliasque cognatas nuper tractavimus earumque solutiones varias proposuimus (*Marianum* 2 [1940], 39-58): eo lectorem remittimus.

iam completa supponitur. Solum ut redempta B. Virgo actus ponere potuisset, qui essent cooperatio ad redemptionem. Si autem B. Virgo in redemptione obiectiva proxime cooperata est, ipsa haec redemptio in tali cooperatione *nondum completa supponitur*, neque fructus eius B. Virgini applicati. Ergo idem opus *ut perfectum* et *ut nondum perfectum supponendum* esset" (n. 297). Quod autem auctor dicit de proxima cooperatione *a fortiori* valent de remota; quae opus *iam completum supponit*, non minus quam proxima, "cum ex illo opere B. Virgo gratias ad cooperandum necessarias acceperit" (n. 277); quae, simul, opus *nondum completum supponit*, multo magis quam cooperatio proxima, cum ab illo opere longius distet.

Existimandum est contradictionem istam distracto auctori exidisse? Fieri potest. At fieri etiam potest ut verbis illis specie contradictoriis significare voluerit, *remotam physicam* cooperationem, quemadmodum *proximam moralem*, utpote contradictoriam, esse eliminandam, vel, quod eodem recidit, non esse veram cooperationem. Profecto, nisi vis verbis infertur; *physica* cooperatio, ac proinde in ordine mere physico considerata, aliud esse non potest nisi Redemptoris generatio et subsequencia munera materna, quatenus meram physicam actionem important. Quod si ita est, effatum illud supra memoratum ita est interpretandum: "Quod est causa causae, *ut existentis*, est causa causati"; quae altera causalitas est prorsus impropria seu potius proprie nulla. Dicitur quidem B. Virgo "*libere facta*" esse mater: at haec libertas aut consideratur secundum *moralem* valorem, quem etiam maternitati ipsi communicat, aut secus. Si prius, remota cooperatio iam non potest esse simpliciter *physica*, sed *moralis* etiam est dicenda; sin alterum, de materiali se habet ista libertas, ut purum praerequisitum, nullam physicam causalitatem importans. Neque enim matris voluntas in generationem physice influit ullo modo.

Tandem auctoris mens haec videtur esse: *remota physica* Virginis cooperatione realitatem nullam aliam significari quam physicam Redemptoris maternitatem. Huc profecto collineat tota ipsius argumentatio, ut statim videbimus. Nos totam rem aliter consideramus. Censemus in ipsa etiam Redemptoris maternitate suscipienda B. Virginis cooperationem esse praesertim *moralem* eamque maxime consensu libere dato contineri seu exerceri; cumque *moralis*

actio, secus ac *physica*, in ipsum opus finale, tamquam in finem intentum, directe feratur, addimus Virginis consentientis cooperationem vocandam esse directam, immo immediatam ac proximam, eo sensu, quod non in ea sola feratur, quae definitivum redemptionis actum praecedunt, sed hunc ipsum definitivum actum attingat.

Ex utra parte stet veritas, argumentorum discussio decidet.

III. ARGUMENTA EXPENDUNTUR

Auctoris argumentatio duplici quasi gressu perficitur: altero positivo, altero negativo seu eliminativo. In priore Virginis cooperatio (semper hic intellegitur ad *obiectivam* redemptionem) ostenditur fuisse "*remota in ordine physico*" (n. 274). In altero tria argumenta tractantur: a) efficacia virgineae *consensionis*, spectatae ut *necessariae*; b) efficacia *oboedientiae*, consideratae etiam ut *necessariae*; c) iterum efficacia *consensionis*, spectatae ut datae loco totius generis humani (n. 275).

Celerius priorem: lentius alterum gressum percurremus.

I. Demonstratio positiva

Principio enuntiatur sententia seu thesis: "De cooperatione *remota in ordine physico* dubium esse nequit". Sermo est itaque de *physica* cooperatione, quae tam est manifesta, ut de illa dubium esse non possit. Non sunt nobis iteranda, quae de huius cooperationis et *physica* indole et evidentia modo notavimus.

Sequitur huius propositionis triplex demonstratio seu potius declaratio.

a) "Libere Deo obediendo B. Virgo facta est mater Redemptoris, sciens Filium suum esse eum, qui morte sua erat redempturus genus humanum". Statim percellit oculos quot modis virginea cooperatio limitetur et coangustetur. Maternitas, — unicum physicum elementum, de quo fit sermo in ista *physica* cooperatione, — exhibetur passive: "*facta est mater*". Ubi dicitur "mater Redemptoris", iste genitivus potest sumi vel in sensu reduplicativo ("mater Redemptoris formaliter ut talis") vel in sensu specificativo ("mater illius, qui deinde est futurus Redemptor"). Hunc

alterum sensum ab auctore intendi, duo suadent: et quod maternitas physice spectata non potest cadere in Redemptorem ut talem, cuius proprium opus seu redemptio in ordine morali versatur, et quod deinde subiungitur: "sciens Filium suum esse eum, *qui... erat redempturus...*" Unde maternitas exhibetur tamquam nullam importans intrinsecam ordinationem ad redemptionem. Praeterea in duobus Virginis actibus moralibus vel spiritualibus, qui maternitatem comitantur, nimirum oboedientia et scientia, nonnulla magni momenti reticentur. In oboedientia reticetur modalitas consensionis; reticetur etiam *reale* obiectum, id est, quid illud sit, quod proponitur vel praecipitur. Exprimitur quidem scientia futurae redemptionis, at nullum desiderium seu optatio. Atqui verbum "*fiat*" (γένοιτο) est in modo optativo, qui modus (sine *āv*) in oratione absoluta seu primaria optationem significat.

b) Pergit auctor: "Haec est cogitatio, quae a primis temporibus saepe enuntiatur comparando Mariam cum Eva: Eva credidit diabolo, inobediens erat Deo, et ita facta est nobis causa mortis; Maria credidit angelo et obediens erat Deo, et ita nobis facta est causa vitae". Haec ultima verba "causa vitae", quae veriore quam arctioremque cooperationem prae se ferre videntur, ita attenuantur, sive in contexta oratione, sive in iis quae auctor scribit superius (n. 169) et inferius (nn. 284-285), ut nudum istum sensum retineant: "Maria eum genuit, qui deinde per se et independentem a Virgine nobis vitam contulit". Hanc autem esse cogitationem sive mentem SS. Patrum, tam frequenter Mariam inter et Evam antitheticum parallelismum instituentium, pace P. Lennerz, negamus omnino. Plena nostrae negationis demonstratio uberiorem expostularet tractationem, quam proposita nobis brevitati patitur, quam tamen propediem nos duros, Deo dante, speramus. Ceterum, quae de Virginis consensu statim dicemus, auctoris interpretationem evertunt.

c) Concludit auctor: "Eo quod libere facta est mater Redemptoris donavit nobis vitam, facta est vera mater viventium, et iure dici potest et dictum est, Deum voluisse ut omnia haberemus per Mariam; Deus per Mariam omnia nobis donavit" (n. 274). Verba ista, in obvio ac naturali sensu accepta, magnas Virginis laudes sonant; pervium hunc tamen sensum auctor non admittit. Qui etiam alias, ubi v. gr. S. Ephraem testimonia non-

· nulla produxit, ita scribit: "Cooperata ergo est B. Virgo ad nostram salutem, quia dedit nobis Redemptorem: cooperatio remota in ordine physico..." (n. 184).

Non est silentio praetereundum quod hic dicitur vel innuitur de spirituali Virginis maternitate his verbis: "facta est vere mater viventium". In ista maternitate continetur cooperatio remota *physica* ad *obiectivam* redemptionem? At alias ista dicuntur: "B. Virgo cooperata est et adhuc cooperatur, ut filii Dei in Ecclesia nascantur...: cooperatio ad redemptionem *subiectivam*" (n. 284). Ergo duplex videtur admitti stadium in spirituali Virginis maternitate, quorum alterum *obiectivam* (remote physice), alterum *subiectivam* cooperationem importet vel respiciat. Sed de his obiter dictis satis est obiter dixisse.

2. Argumentatio eliminativa

A. *Virgineae consensionis necessitas*. Ne argumentatio auctoris perperam intellegatur, duo alii textus, ex aliis operis locis petiti, sunt praemittendi. Agens de cooperatione *proxima in ordine morali*, haec de consensu scribit: "Merus autem *consensus* in opus bonum ab alio perficiendum per se non dicit cooperationem ad tale opus; si autem consensus ille esset condicio sine qua opus ab alio non perficeretur, posset vocari cooperatio sensu quodam latiore; si vero consensus ita se haberet, ut ipso hoc consensu alius ad ponendum opus determinaretur, haberetur verus influxus moralis determinans existentiam operis, ergo vera cooperatio in ordine morali" (n. 163). Haec in univsum. Propius ad rem nostram accedens, addit: "Ex s. Scriptura ergo haec videntur colligi posse: B. Virgo liberum consensum dedit ad hoc ut fieret Mater Redemptoris (quod intelligi potest de cooperatione remota in ordine physico ad redemptionem *obiectivam*)" (n. 178). Duo de hoc postremo loco sunt animadvertenda: maternitatis *passivitas* ("ad hoc ut *fieret* Mater"), et sententiae ambiguitas ("quod intelligi *potest*"). His praemissis, ad locum nostrum redeamus; qui sic se habet:

"Maria libere consensum dedit ut mater Redemptoris fieret; nullum autem habetur argumentum, Deum ipsam Incarnationem et Redemptionem ita a consensu Beatae Virginis dependentem vo-

luisse, ut sine hoc consensu Incarnatio et Redemptio futura non fuissent" (275). Versamur in uno ex illis casibus, in quibus syllogismus *in forma* est absolute necessarius, ut sciamus et quid et cur dicatur. Ut autem syllogismus auctoris menti apprime respondeat, quod omnino volumus, nonnulla sunt in allato textu notanda. In quo duae sunt partes: in priore admittitur factum fundamentale: "Maria libere consensum dedit"; etsi consensio- nis terminus seu obiectum passive, ut solet, effertur: "ut mater Redemptoris fieret"; in altera vero reiicitur negative ("nullum habetur argumentum" = non probatur) Deum voluisse Incarnationis et Redemptionis existentiam a Virginis consensu dependere. Haec explicite dicuntur. At alia implicite supponuntur. Supponitur principium alibi declaratum, scilicet, consensum non esse veram cooperationem, nisi aut alium ad ponendum opus determinet, aut saltem sit condicio sine qua non. Reticetur etiam argumentationis conclusio, quae, ne argumentatio a proposito aberret, alia non potest esse nisi haec: "Consensus non importat veram cooperationem remotam physicam ad obiectivam redemptionem." Ex his iam sua sponte iste enascitur syllogismus:

Ut consensus cooperationem importet, talis esse debet, ut alium ad operandum determinet (= cooperatio vera), vel saltem ut sit condicio sine qua alius non operaretur (= cooperatio latior). Atqui non probatur Virginis consensum talem fuisse, ut Deum determinaverit ad Incarnationem et Redemptionem operandam, aut conditionem fuisse sine qua Deus Incarnationem et Redemptionem non esset operatus. Ergo non probatur Virginis consensum ullam importare cooperationem, consequenter nec remotam in ordine physico, ad opus Incarnationis et Redemptionis.

Existimamus nos auctoris mentem plene attigisse eiusque argumentationis vim minime attenuasse. Iam, estne efficax ista argumentatio conclusionemque demonstrat?

Ut argumentatio sit efficax, necesse est ut utraque pariter praemissa sit vera; quod si alterutra falsa demonstratur, tota argumentatio corruiat. Atqui cogimur dicere utramque pariter praemissam esse in proposito syllogismo reiiciendam. Grave istud assertum demonstrandum est.

Maiorem propositionem expendamus, in qua proprietates seu conditiones recensentur necessariae, ut consensus vere dici queat

cooperatio. Rem ad principia avocemus. *Co-operatio*, ut nomen ipsum indicat et ut ab omnibus intellegitur, est opera collata ad opus efficiendum. Essentialis cooperationis proprietas, ipso nomine implicite significata, est *efficacitas* seu realis influxus in effectum. At non requiritur a) ut qui cooperatur, opus ipse inchoet seu ordiatur: sufficit ut alteri inchoanti efficacem suam operam conferat, ut patet. Nec requiritur b) ut cooperatio sit necessaria, id est, ut nequeat sine ipsa effectus produci. Quod, etsi patet etiam, iuverit exemplo declarare. Petrus Paulum iuvat ad movendum lapidem, quem tamen solus Paulus poterat movere. In hoc casu Petri cooperatio est efficax, quia de facto tam ipse lapidem movet quam Paulus; non est tamen necessaria, quia solus per se Paulus lapidem movere potuisset. Unde non est idem efficacitas et necessitas; potest enim altera esse sine altera: efficacitas non necessaria, necessitas non efficax. Ad notiones istas complendas aliud notandum est non levis momenti: nimirum, sicut efficacitas non importat per se necessitatem, ita necessitas minime excludit efficacitatem. Propositum exemplum mutemus. Sit Petrus Paulum iuvans ad movendum lapidem, quem solus Paulus movere non posset. Tunc Petri cooperatio est necessaria, at non ideo desinit esse efficax. Clarius: necessarium actionis praerequisitum potest esse vel pura condicio *sine qua non*, vel causa necessaria. Erit pura condicio, si reapse non influit; erit causa necessaria, si influit. Ista notamus, quia non raro necessarium aliquod actionis praerequisitum cito vocatur condicio *sine qua non*. Profecto necessitas causalitatem non arguit; at si alioqui causalitas constat, necessitate non tollitur, nec evadit pura condicio necessaria.

Perpendendum est iam num generalia ista principia, in se tam manifesta, aliquam immutationem seu modificationem subeant, consensui applicata. Forte enim fieri potest, ut specialis seu specifica consensus indoles talem exigat modificationem. Naturam itaque consensus examinemus.

Quod consensus, certis saltem quibusdam proprietatibus ornatus, efficacitatem importet veramque cooperationem, extra dubium est. Omnes enim Moralis Theologiae auctores *consentientes* inter cooperatores recensent. Aliunde non minus est certum saepe consensu nullam causalitatem importari. Ita nullam prorsus causalitatem importat consensus operi iam facto adveniens, consensus non

requisitus. Unde ergo habet consensus, ut vera possit esse cooperatio? Dicamus primum, unde non habeat. Non habet 1) ex eo quod consensus opus ordiatur seu inchoet. Talis inchoatio seu praecedentia, si, ut vidimus, ex generali cooperationis conceptu minime exigitur, ex speciali consensus indole potius excluditur. Consentientis enim alium invitantem vel proponentem potius sequitur quam praecit. Non habet 2) ex eo quod consensus sit necessarius. Theologiae Moralis Doctores casus enumerant in quibus consensus, etsi non necessarius, vera ac propria cooperatio aestimatur, talisque, quae restitutionis onus imponat (Cfr., v. gr., AUG. LEHMKUHL, *Theol. Mor.*, ed. II, I, 1199-1201; ED. GENICOT, *Instit. Theol. Mor.*, ed. 9, I, 540; DOM. PRÜMMER, *Man. Theol. Mor.*, ed. II, 104-105; IOH. B. FERRERES, *Comp. Theol. Mor.*, ed. 16 [Barcinone, 1940], I, 819-821...). Sit exemplum illustre. Ioseph ab Arimathaea "non *consenserat* consilio et actibus eorum" (Lc. 23, 51), videlicet synedritarum, "qui omnes condemnaverunt eum [Iesum] esse reum mortis" (Mc. 14, 64). Ioseph, quia non consentiens, non fuit mortis Iesu cooperatores; alii synedritae, quia consentientes, cooperatores exstiterunt. Iam, omnes isti et singuli cooperatores fuerunt, etsi non singulorum consensus fuit necessarius. Poterant enim singuli Ioseph imitari in negando consensu; quae tamen consensus denegatio minime obstitisset, quominus Iesus damnaretur. Erat ergo singulorum consensus vera cooperatio, non erat tamen necessarius.

Consensus ergo non aestimatur cooperatio, quod opus inchoet aut quod sit necessarius. Unde igitur habet? Non aliunde quam ex illa essentiali cooperationis proprietate, superius notata, nimirum ex *efficacitate*: ex eo quod de facto influat in opus seu effectum. Propterea non censetur cooperatio consensus subsequens, quia opus iam factum invenit; nec consensus non requisitus, quia independentem ab illo opus perficitur. Subtilius poteramus radicem huius efficacitatis inquirere: sufficiat breviter dicere, sine consensu non haberi aut plenam potestatem moralem aut definitivam voluntatem agendi, id est, non haberi plene constitutum actum primum proximum ad agendum, cuius propterea complementum quoddam aestimatur consensus.

Ex his principiis iam statim apparet quid de maiore illa praemissa sit censendum. Dicebatur: "Ut consensus cooperatio-

nem importet, talis esse debet, ut alium ad operandum determinet". Hoc verbum "determinet" in sensu auctoris (nn. 163, 280) significat *inducere, movere*, et ita quidem, ut sine ista inductione seu motione opus minime fieret. Hoc autem, ex dictis, non est verum. Quod si verbum "determinet" idem esset atque ultimam determinationem seu completionem addere alterius potestati morali seu voluntati, verum esset. Sed cum hoc omni efficaci consensui sit commune, specialem difficultatem non creat. Additur in maiore praemissa: "Vel saltem ut sit condicio sine qua alius non operaretur". Duo hic asseruntur: et consensum cooperantem debere esse necessarium; et consensum, qui esset condicio *sine qua non*, esse latiore tantum sensu cooperantem. Iam vero, ex modo dictis, neutrum horum potest admitti. Neque enim omnis consensus, vere cooperans, debet esse necessarius; neque, si quando est condicio *sine qua non*, ista necessitas tollit efficacitatem, quam aliunde habet consensus.

Maior ergo praemissa non stat. Sed, siquidem positivis testimoniis, potius quam speculativis rationibus, multo efficacius confutabitur propositus syllogismus, fingamus consensum, ut vere cooperans exsistat et habeatur, debere esse necessarium, et quidem non tamquam meram condicionem *sine qua non*. Ad minorem itaque propositionem controversiam totam transferamus.

In memoriam revocemus auctoris verba, quibus propositio minor continetur: "Nullum autem habetur argumentum, Deum ipsam Incarnationem et Redemptionem ita a consensu Beatae Virginis dependentem voluisse, ut sine hoc consensu Incarnatio et Redemptio futura non fuisset" (n. 275). Optime auctor, verbum "*voluisse*" adhibens, quaestionem circumscribit. Qui enim Virginis consensui aliquam necessitatem vindicant, nullam aliam necessitatem intellegunt, nisi eam, quae a Dei voluntate oriatur, quae sit propterea necessitas *consequens*, nullo modo *antecedens*; nisi forte agitur de latiore quadam necessitate congruentiae vel convenientiae. Videamus igitur, num in Traditionis documentis talis *consequens* necessitas virgineae consensioni tribuatur.

Quoniam Virginis consensioni, utpote praecipuae cooperationi ad (obiectivam) redemptionem (saltem ante definitivum in cruce redemptionis actum), maximum momentum tribuamus, liceat plures textus afferre: plures, inquam, quam ad necessitatem virginei

consensus demonstrandam requirantur; etsi pauciores prae iis qui adduci potuissent. Textus nimirum et breviores et clariores tantum proferemus. Quos commodum fuerit in series quasdam distribuere.

A Patribus antiquioribus ordiamur.

S. EPHRAEM: Virginem alloquitur angelus: "Mulierum benedictissima... Stupefaciet tua agendi ratio, si tuo responso *irritum facias* nuntium quod tibi affero..." (Ed. LAMY, vol. 2, 600). Erat ergo necessarius consensus, ne irritum fieret Dei consilium.

S. IRENAEUS: "*Necesse* et dignum erat, rursus perficere Adam in Christo,... et Evam in Maria: ut Virgo... solveret et destrueret virgineam inoboedientiam per virgineum obsequium" (*Demonstratio apostolicae praedicationis*. 33. Ex Armeno vertit... S. WEBER. Friburgi Brisgoviae, 1917, p. 59-60).

S. PROCLUS CONSTANTINOPOLITANUS: Verbum Virginem alloquitur: "Adhuc animi pendes?... Non vis ut,... homo in terris hominum causa fiam? Non vis ut per uterum tuum patrum tuorum promissa impleantur? Non vis inoboedientiam mulieris, mulieris vicissim oboedientia, compensari?" (MG 65, 746-747). Itaque ex Virginis voluntate pendet et Incarnatio et Redemptio.

ISIDORUS THESSALONICENSIS: "Cum enim Deus, quandoquidem lapsum Adam non ignorabat, numquam eum creaturus fuisset, nisi simul eiusdem reparationem praeordinasset; haec autem medela ab illa prorsus Immaculata *penderet*..." (MG 139, 103).

NICOLAUS CABASILAS: "...Si vero [Virgo] non credidisset vel non consensisset, voluntas Dei pro nobis ad effectum prodire non potuisset... Quemadmodum enim sine illis tribus [Trinitatis personis] consilium hoc prodire non poterat, ita etiam, Immaculata consensum et fidem denegante, propositum ad effectum adduci impossibile erat..." (Patrol. Orient. Graffin-Nau, 19, 487-488).

VULGATUS AUGUSTINUS: Sic Virginem alloquitur: "Responde iam, Virgo sacra: vitam quid tricas mundo? Assensum tuum angelus praestolatur... Est nobis [in caelum] aditus, si assensus tuus fuerit commodatus... Fides tua modo aut aperit caelum aut claudit" (ML 39, 1896).

S. PETRUS CHRYSOLOGUS: "Audistis hodie... angelum cum muliere de hominis reparatione tractantem. Audistis agi, *ut* homo cursibus eisdem, quibus dilapsus fuerat ad mortem, rediret ad vitam. Agit, agit cum Maria angelus de salute, *quia* cum Eva angelus egerat de ruina" (ML 52, 579). Particulae *ut*, *quia* significant Dei voluntatem adhiben-

di principium *recirculationis*: ad quod Dei consilium exsequendum necessarius erat Virginis consensus. In eundem sensum poterant nota verba Tertulliani afferri, quibus *recirculationis* principium significanti illa formula effert: "Deus imaginem... suam... *aemula operatione* recuperavit"; quod principium dicit fuisse applicandum, "ut quod per eiusmodi sexum abierat in perditionem, per eundem sexum redigere- tur in salutem... (ML 2, 827-828).

S. ELEUThERIUS TORNACENSIS: "*Quia* periclitabamur per primae mulieris inoboedientiam, *oportebat ut* salvaremur per feminam", nimirum, per feminae oboedientiam seu consensum, quemadmodum parallelismus postulat (ML 65, 94).

S. BEDA VENERABILIS: "*Aptum* profecto humanae restaurationis principium, ut angelus a Deo mitteretur ad Virginem partu consecrandam divino, *quia* primae perditionis humanae fuit causa, cum serpens a diabolo mittebatur ad mulierem spiritu superbiae decipiendam... *Quia* ergo mors intravit per feminam, *apte* redit et vita per feminam" (ML 94, 9).

S. PETRUS DAMIANI: "Evocatur statim caelestis ille conventus, et iuxta prophetam init Deus consilium, cogit concilium, facit sermonem cum angelis, de restauratione eorum, de redemptione hominum, de elementorum renovantione, ac illis stupentibus et mirantibus prae gaudio, de modo redemptionis. Et statim de thesauro divinitatis MARIAE nomen evolvitur, et per ipsam et in ipsa et de ipsa et cum ipsa totum hoc faciendum *decernitur*, ut, sicut sine illo nihil factum, ita sine illa nihil reffectum sit. Traditur epistola Gabrieli..." (ML 144, 558-559).

Ad recentiores medii aevi scriptores veniamus, quorum agmen praebet Bernardus.

S. BERNARDUS: Virginem verbis hisce compellat: "Exspectat angelus responsum... Exspectamus et nos, o Domina, verbum miserationis, quos miserabiliter premit sententia damnationis. Et ecce offertur tibi pretium salutis nostrae: statim liberabimur, si consentis... Hoc totus mundus, tuis genibus provolutus, exspectat. Nec immerito, quando *ex ore pendet tuo* consolatio miserorum, redemptio captivorum, liberatio damnatorum: salus denique universorum filiorum Adam... O Domina, responde verbum, quod terra, quod inferi, quod exspectant et superi. Ipse quoque omnium Rex... desiderat... responsionis assensum: *in qua* nimirum *proposuit salvare mundum...*" (ML 183, 83-84).

RICHARDUS A S. LAURENTIO: "Auditu simplici ad nostram salutem suscepit nuntium Gabrielis... Et ab auditu ipsius initium sum



sit reparatio nostra, ut intraret remedium, unde morbus irreperat; et eisdem vestigiis sequeretur vita mortem...; et vitae ianua fieret auditus, per quem intraverat mors in mundum" (*De laudibus B. Mariae V.*, 2, 2, 4).

"*BIBLIA MARIANA*": "Deus non nisi consensu Mariae nostrae salutis opus operatur: quem consensum angelus praeparavit" (Ev. sec. Luc., n. 1).

IACOBUS DE VORAGINE: "*Mors et vita in manu linguae*. In manu linguae serpentis fuit mors pestiferae suggestionis; in manu linguae Evae fuit mors dubitationis;... sed in manu linguae Virginis fuit vita nostrae salutis" (*Mariale aureum*, I, 7). Haec ultima verba illis Bernardi respondent: "Ex ore pendent tuo..."

RAYMUNDUS IORDANIS, "IDIOTA": "Bene dixisti: *Fiat mihi secundum verbum tuum*... Nec incarnatum in te fuisset Verbum Patris, nisi verbis angelicis consensisses" (*Contempl. de B. Virgine*, p. 8, contempl. 7 n. 3).

S. VINCENTIUS FERRER: "Sciebat Deus aeternaliter quod quaedam mulier erat futura, scilicet Eva, quae esset initium et causa omnis mali... Ex ista ratione proposuit Deus creare unam mulierem, scilicet Virginem Mariam, quae esset causa totius boni et initium... Quia prima fuit inclinata ad consentiendum diabolo, voluit quod secunda esset inclinata ad consentiendum angelo." (*Serm. in fest. Concept. M. V.*).

S. LAURENTIUS IUSTINIANUS: "Concipies... de Spiritu Sancto, tu dumtaxat interveniente consensu... Isto unico responso... captivo saeculo spem dedit... ac detentis in inferno patribus libertatis gratiam repromisit. Affectu quippe avido... huiusmodi praestolabantur responsum. Erat quippe illis prae libertatis amore diuturna nimis exspectatio pavidaque observatio, ne ob humilitatis virtutem reniteretur Virgo consensumque negaret. Verum, ut datum a Maria percepere responsum, omnes pariter prorumpentes in laudes, Domino decantavere..." (*Serm. in Annunt. B. M. V.*).

S. ANTONINUS: "Stabat tota curia caelestis exspectans responsum suum, avidissime cupiebat assensum suum... Clamabant patres omnes in limbo...: Aperiatur terra virginalis in ore suo per consensum cordis,... et immediate germinabit Salvatorem..." (*Summa*, p. 4, tit. 15; c. 8, § 2).

DIONYSIUS CARTUSIANUS: "*Exsultavit ille ut gigas ad currendam viam*; sed, donec ista consentiat, neque ingreditur, neque descendit. Per occultissimam itaque inspirationem... invitat eam...; atque ut sibi aperiat per fidem, itemque consensum inclinet, infundit" (*De praecon. et dignit. Mariae*, I, 27).

Sancti Doctores Ecclesiae, etsi recentiores, singularem merentur locum.

S. ALBERTUS MAGNUS: "Dominus volens ad nostram redemptionem venire in mundum, dixit in consilio angelorum suorum: *Quis deducet me in Idumaeam?* Respondit Gabriel:... *Facta est*, inquit, Virgo Maria *quasi navis institoris*... Cui Dominus: Redeas ergo et dicas ei quod per eam volo deduci in mundum... Post consensum autem Virginis, Dominus statim intravit in eam" (*Serm. in Dom. 5 post Trin., I, I*).

S. THOMAS AQUINAS: "Congruum fuit B. Virgini annuntiari quod esset Christum conceptura..., ut ostenderetur esse quoddam spirituale matrimonium inter Filium Dei et humanam naturam: et ideo per annuntiationem expectabatur consensus Virginis loco totius humanae naturae" (3 q. 30, a. 1, c.).

S. BONAVENTURA: "Quoniam... congruus modus est quod medicina ex opposito respondeat morbo, et reparatio lapsui, ...cum genus humanum lapsum fuerit per diabolicam suggestionem et per consensum mulieris deceptae, ... oportuit quod e contrario hic esset angelus bonus suadens bonum, et Virgo credens et consentiens in bonum suum...: ut sic contraria contrariis curarentur" (*Breviloq., p. 4, c. 3*).

S. PETRUS CANISIUS: "Huic [Virgini] tantum aeterna sapientia deferre voluit, ut non nisi illius assensu accedente, redemptionis nostrae mysterium inchoaretur... Tale tantique momenti inter Gabrielem et Mariam, quale nullum ab orbe condito, habitum est colloquium... Sed longe praeclarior nobisque utilior finis tam sacri colloquii fuit; quem salutata Virgo debuit imponere, *uno velut verbo ita concludens negotium*, ut et Gabriel et ceteri caelestes spiritus, dicam et patres in limbo versantes, velut ex Mariae responso penderent..." (*De Maria Virg. incomparabili...*, 3, 1).

S. ROBERTUS BELLARMINO: "Est hoc in more positum, ... ut, cum nuptiae celebrandae sunt, non ante matrimonium concludatur, quam sponsae consensus requiratur... Sic igitur et nunc, cum esset humana natura Verbo Dei matrimonio copulanda, misit Deus angelum suum ad Virginem, ut eius quodammodo consensum et voluntatem requireret" (*Super Missus est*, cont. I, p. 2).

S. ALFONSUS M. DE LIGORIO: "Age, Domina, responde: ne ultra mundo remoreris salutem, quae a tua modo consensione dependet..." (*Le Glorie di Maria*, p. 2, serm. 4, punct. 1).

Patrum Doctorumque vestigiis insistunt posttridentini theologi.

FRANCISCUS SUAREZ: "Sicut enim Deus per gratiam suam, tamet-

si efficacissimam, nullam personam ratione utentem ad amicitiam suam sine consensu illius pertrahit, ita, cum per hoc mysterium B. Virgo ad singularem cum Deo coniunctionem ineundam levaretur, — futura enim erat veluti Spiritus Sancti sponsa, — ad suavem divinae providentiae dispositionem pertinuit eius exspectare consensum” (In 3 p., q. 30, a. 1).

GABRIEL VÁZQUEZ: “Et sane maxime conveniens fuit, ut tantum mysterium non sine consensu Virginis perficeretur” (In 3 p. D. Thom., disp. 126, c. 5, n. 49).

THEOPHILUS RAYNAUDUS: “Suspensum in huius colloquii eventum humanum genus, eleganti prosopopoeia inducunt varii patres, et, — quasi metuendum esset, ne virgo, a cuius assensu salus nostra pendebat, vel negaret vel serius praestaret assensum, — supplicibus sed instantissimis precibus, ne haereat et bonum nostrum remoretur, ab ea postulans” (*Diptycha Mariana*, p. 1, punct. 4, n. 3).

VINCENTIUS CONTENSON: “Ab eius [Virginis] assensu pendere voluit Deus, a quo omnia pendunt” (*Theol. mentis et cordis*, l. 10, diss. 6, c. 10).

CAROLUS RENATUS BILLUART: “Requirebatur [Virginis] consensus, ut, sicut femina dando consensum angelo tentatori ruinae generis humani initium dedit, sic femina dando consensum angelo salutanti redemptionis generis humani initium daret” (*Supplém. Cours. Theol., Tract. de Myster. Christi*, diss. 1, a. 6).

IOHANNES CHRYS. TROMBELLI: “Edocuit pariter quas partes in incarnatione, ideoque in mundi perditae reparatione, Virgo Maria habuerit, a cuius assensu in sumenda ab ea carne pependerit Deus” (*Mariae Smae. vita ac gesta*, diss. 11, q. 1, n. 9).

VIGILIUS SEDLMAYR: “Respondeo, exinde resplendere, quantum valeat sacratissima Virgo apud Deum, cum hic salutem totius generis humani voluerit alligare beatae Virginis voluntati: neque in hoc est quidquam absurdi; quia inde non sequitur dependentia absoluta et antecedens divinam voluntatem, sed tantum consequens, quia nempe Deus libere voluit suam assumptionem naturae humanae et inde mundi salutem dependentem facere a consensu beatae Virginis, cum aliunde non exspectato Virginis consensu incarnationem potuerit perficere” (*Scholastica Mariana*, p. 2, q. 2, a. 1; n. 1005).

Audiendi sunt etiam magni illi posttridentini Scripturae interpretes.

ALFONSUS SALMERÓN: “Et discessit angelus ab ea... Recessit autem cum magno gaudio expletaque feliciter legatione ac impetrato

consensu Virginis, ad quem exhibitum sciebat complendum esse incarnationis mysterium" (*Comm. in Evang. hist. et Act.* t. 3, tract. 9. Coloniae Agripp. 1612, p. 75).

IOHANNES MALDONADO: "Credibile est, sine consensu Virginis noluisse Deum ex ea carnem assumere; et, obtento consensu, non erat quod conceptio differretur, cum nihil aliud exspectare angelus videbatur, quam ut Virgo consensum legationi suae adhiberet" (*In Lc.* I, 38; n. 149).

FRANCISCUS CARD. TOLEDO: "Cum potuisset Deus concipi et nasci de beata Virgine, eius consensu non requisito, ... cur ipsius consensum habere voluit? Respondeo convenientissime id esse factum". Quattuor huius convenientiae causas reddit; quarum quarta haec est: "ut nos omnes obligaret beatæ Virgini strictissimo vinculo caritatis: magno quippe affectu est a nobis proseguenda ea, cuius arbitrio salus hominum est commendata; non enim aliter voluit Deus homo fieri pro nobis, quam beata Virgine libere consentiente. Multum profecto illi debemus, et quod caro Christi de ea sumpta est, et quod consensum liberum exhibuit" (*In Lc.*, I, annot. 112). Qui haec aliaque his similia scripsit, nobilissimus est Scripturae interpres idemque gravissimus theologus.

MARTINUS DEL RIO: "Cum enim iam instaret plenitudo temporis, quo Dei Filius hostiam reconciliationis humanae, suo tempore immolandam, de carne Virginis sumeret, noluit ea nesciente vel invita hoc facere, sed ad hoc dignatus est eius petere atque exspectare assensum. Praemisit ergo angelum..., qui... fidelem eius assensum... blande molliorque eliceret...; per quem ei diceret: ... *fac me audire vocem assensus tui.* En amici hominum sancti angeli vocem assentientis inhiante exspectant, scientes sine assensu tuo non posse hominum provenire salutem..." (*In Cant.*, c. 8, sect. 9, vers. 13, interpr. mixta).

CORNELIUS A LAPIDE: "Verbum incarnatum [est], mox ut B. Virgo angelo illud nuntianti assensum praebuit; ad hoc enim mittebatur; nec enim decebat Christum concipi, invita vel nesciente Virgine, sed sciente et consentiente" (*In Lc.* I, 38).

Non praetereundi sunt ascetici scriptores; quorum en in exemplum nonnulli.

FRANCISCUS COSTERUS: Deus Virginis "consensum et quodammodo auxilium quaesivit. Statuerat humanam naturam in divinam personam assumere, per eamque humanum genus redimere: quam rem tanti momenti sine Virginis istius assensu et voluntate aggredi noluit" (*Devota et laud. Deiparae V. M. meditationes* 50, med. 5, I).

IACOBUS ALVAREZ DE PAZ: Virginem alloquitur: "Noluit... [Deus] hoc mysterium perficere, quousque tu de illo instruereris, et consensum ad Filium Dei suscipiendum tribueres... Decuit... ut de tuo consensu interrogareris..." (*De inquis. pacis...*, I. 3, p. 2, c. 6; med. 2).

Sacri quoque sunt oratores afferendi, qui simul sint doctissimi theologi.

S. THOMAS A VILLANOVA: Bernardum imitatus, scribit: "Iam angelus redire vult ad eum qui illum misit: eia, Virgo pulcherrima,... mysterium cognovisti, modum et dispositionem intellexisti: da consensum, expedi nuntium. Exspectant te caelum et terra: omnia tuum exspectant consensum..." (*In Annunt. B. M. V. cont. 4*)

B. IOHANNES DE AVILA: ita inducit angelum loquentem: "Haec est mea oratio: ego tuum responsum, Sanctissima Trinitas tuum consensum exspectat: quid respondes?..." (*Libro espiritual, tr. I. Obras, Madrid, 1760, t. 7, p. 9-10*).

IACOBUS BENIGNUS BOSSUET: "Deus sacrae Virginis consensione atque oboedientia non opus habebat...; at voluit magna exempla mundo exhibere... Est hic aliud quoque mysterium. Evae nostrae matris inoboedientia... in nostrum exitium operam contulerat; voluit itaque Deus, sancta quadam oppositione, ut Mariae oboedientia humilisque fides in redemptionem nostram operam conferret; ita ut nostra natura repararetur illis omnibus quae in eius exitium convenerant; nosque Novam Evam in Maria haberemus, quemadmodum Novum Adam habemus in Christo..." (*Elevations à Dieu sur tous les Mystères de la Religion chrétienne, 12 sem., élév. 5*).

LUDOVICUS BOURDALOUE: "Ex ista Mariae responsione pendet gloriosi mysterii impletio, quod hodie celebramus. Ista consensio erat, in ordine aeternorum Dei consiliorum, una ex conditionibus ad Verbi incarnationem requisitis... Neque enim ipse Dei Filius de sua gloria descendit..., nisi quando ipsa dixit et quia ipsa dixit: *Ecce ancilla Domini...*" (*Serm. I sur l'Annonc. de la Vierge, exord.*).

HENRICUS ENGELGRAVE: Loquitur angelus: "Quid dubitas, Virgo?... Tuus requiritur pro consensu nutus, ut inde sequatur omnium salus: a tuo ore haerent suspensi caeli, terrae, inferi; angeli, homines; daemones; exspectat ex alto Aeternus Pater,... exspectat Altissimi Filius,... exspectat... Spiritus Sanctus...; tota denique rerum universitas, quid sis caelesti oratori responsura, exspectat... Cum ergo iam finem et dicendi caelestis orator, et expendendi incomparabilis Virgo fecisset, nilque ut perditio homini salus conferretur, requireretur, nisi Virginis consensus, — adeo scilicet totum genus humanum ab unius puellae ore

pendebat, — tandem illa... unum verbum, quod laetitiam caelis, gaudium terris, invidiam prope angelis, salutem hominibus, horrorem daemonibus attulit, magnum ac mirandum illud *Fiat*, quo *verbo Verbum* e sinu Patris traxit, pronuntiavit” (*Caelum empyreum...* Fest. Annunt. Virg. Mariae, § 1. Coloniae Agripp. 1668, p. 375-378).

VINCENTIUS HOUDRY: “Cur voluit Deus exspectare Virginis consensum pro Filii sui incarnatione?... Theologi optimas afferunt rationes... Ratio potissima desumitur ex gloria Dominae nostrae; ut haec Mariae dignitas eo illi esset gloriosior, quod conferebat illi assensum suum, et aliquo modo in illa situm erat efficere, ut mundus redimeretur. Opus igitur fuit, ut illa contulerit ad Filii sui formationem, non solum per corporis sui fecunditatem, verum etiam per animae suae libertatem; ita ut, cum Deus absoluto decreto Mariam Matrem Iesu facere statuerit, nihilominus in hoc exsequendo consilio voluerit ipsam propter maiorem sui nominis gloriam assensum praestare” (*Biblioth. continuationum theol.*, t. 3, Myst. Annunt. S. M. V. § 5. Venetiis, 1779; p. 78-79).

BENEDICTUS CARD. SANZ Y FORÉS: “Consideremus istam legationem. Mundus universus Nazareth intuetur. Ibi transigendum est magnum saeculorum negotium,... pacisque foedus Deum inter et homines ferendum. Mundi sortium arbitra est Maria... Sollemne momentum, quod ista archangeli verba consequitur. Ille exspectat humilis et anxius Mariae responsum. Nec solus Gabriel: exspectat hoc verbum Trinitas augusta, quae suae gloriae causam Mariae committit;... exspectat homo, vinculis obrutus, causam suae libertatis videns ex Virginis ore pendere...” (*Discursos sobre las grandezas y virtudes de la Sma. Virgen*, t. 1, disc. 5, p. 2. Tortosa; 1859; p. 136-142).

Ex hodiernis theologis, iis praetermissis, quorum testimonia producere superfluum videri possit, nonnulli in exemplum afferentur, qui tractatus de Verbo Incarnato scripserunt.

LAURENTIUS JANSSENS: “Quum Incarnationis opus sit verum connubium inter Ecclesiam et Christum; connubium autem quodvis praevio consensu firmetur: decuit Virginem libere consentire praedestinationi caelesti sibi divinitus nuntiandae” (*Summa theol.*, t. 5, p. 2; sect. 1; membr. 1, q. 30, a. 1; I).

IOHANNES MUNCUNILL: “Verbum Dei voluit obtinere consensum Virginis antequam ex illa carnem assumeret” (*Tract. de Verbi div. Incarn.*, n. 1250).

HONORATUS DEL VAL: “Non oportuit fieri Christi conceptio, quin

ipsi B. Virgini hoc mysterium prius nuntiaretur, eiusque expectaretur consensus" (*Sacra Theol. dogm.*, v. 2, n. 244).

LUDOVICUS BILLOT: "Oportuit secundum ordinem a divina Sapientia praestitutum, ut incarnationis exsecutio a Virginis consensu dependeret" (*De Verbo Incarn.*, th. 45).

H. HURTER: "Maria loco totius humanae naturae consensum dedit..., ideoque generis redemptio quadamtenus pependit a Virginis consensu" (*Theol. dogm. comp.*, 2, n. 578).

LUDOVICUS LERCHER: "*In ipsa Incarnatione libero consensu carnem suam et sanguinem praebuit, ut Filius Dei cooperante Spiritu Sancto homo fieret. Sic opus redemptionis veram dependentiam habet a libero consensu Mariae. Sane Deus ipse hanc dependentiam voluit, et liberum consensum, ut infallibiliter a Maria daretur, providentia sua procuravit*" (*Instit. Theol. Dogm.*, 3, n. 383).

Finem iam his testimoniis imponat suaque suprema auctoritate robur adiiciat LEO XIII, haec scribens: "Divina consilia addecet magna cum religione intueri. Filius Dei aeternus, cum ad hominis redemptionem et decus, hominis naturam vellet suscipere, eaque re mysticum quoddam cum universo humano genere initurus esset connubium, non id ante perfecit, quam liberrima consensio accessisset designatae matris, quae ipsius generis humani personam quodammodo agebat, ad eam illustrem verissimamque Aquinatis sententiam: *Per annuntiationem exspectabatur consensus Virgini loco totius humanae naturae*" (Encycl. "Octobri mense" [22 Sept. 1891]. *ASS* 24, 195).

His testimoniis multa alia possunt adiungi; inter quae illa, ex. gr., recensenda sunt, in tota Traditione tam crebro repetita, quibus recirculationis seu reversionis principium enuntiatur. Hoc principio exprimitur Dei consilium decernentis, ut humana reparatio humanae ruinae ex adverso apprime respondeat; id est, ut essentialia omnia ruinae elementa in reparatione, quasi mutato signo, existant. Atqui essentialia ruinae elementum fuerat Evae consensus. Huic ergo respondere in reparatione debebat Mariae consensus. Quae propterea consensus erat necessaria, necessitate divinum consilium consequente.

His omnibus consideratis, verumne est quod auctor dicit: "Nullum autem habetur argumentum..."? Hoc verbum "*nullum*" duo potest significare: aut "non suppetunt textus, qui id asserant", aut

“textus istí rem non probant”. Atqui neutrum sustineri potest. Quod suppetunt textus, iis afferendis ostendimus. Quod vero textus rem probent, allatorum testium auctoritas satis superque demonstrat. Si tam multi textus tamque gravium auctorum nihil evincunt, actum est de Traditionis auctoritate ac valore.

Antequam ad alia transimus, liceat factum notare, vel quaestionem proponere. Sat multos Traditionis textus in suo libro exscribit auctor (nn. 179-273 [p. 129-215]). Querimus: cur eorum textuum, quos modo protulimus, vix unus vel alter ab auctore profertur? Consulto id accidit, an casu? Sane, si alii textus non essent, quam illi ab auctore recitati, “nullum haberetur argumentum”.

* * *

B. *Virginis oboedientia*. Pergit auctor: “Nullum porro habetur indicium affirmandi, Deum B. Virgini solum proposuisse, ut si ei placeret et si vellet, fieret mater Christi; sed Deus voluit, ut libere mater Dei fieret, et B. Virgo huic voluntati divinae sese subicere debuit, humiliter sese subiecit et obedivit. Propterea Patres hanc Virginis obedientiam adeo celebrant” (n. 275). Fateor haec mihi verba valde ambigua videri; ideoque vereor, ne mentem auctoris non attingam. Dicit auctor Deum non “solum proposuisse Virgini”, sed “voluisse (et voluntatem manifestasse)”. Utrumque verbum (“proponere”, “velle”) duo potest significare. “Proponere” potest esse vel *simpliciter* (et quasi indifferenter) *rem exhibere* (et hoc modo videtur intellegere auctor), vel *simplex beneplacitum manifestare*. Vicissim “velle” potest esse vel *cupere* seu *optare*, vel *praecipere*. Unde, cum alter sensus verbi “proponere” idem sit ferme ac prior sensus verbi “velle”, tres tandem Dei actus in quaestionem veniunt, quos tribus his formulis possumus efferre: a) *nuda propositio*, b) *simplex beneplacitum*, c) *verum praeceptum*. Ex horum trium varia compositione seu, ut ita dicam, combinatione, tres existunt hypotheses, tribusque modis potest auctor intellegi: 1) aut negat nudam propositionem, ut asserat simplex beneplacitum, 2) aut negat nudam propositionem, ut asserat verum praeceptum, 3) aut negat simplex beneplacitum, ut verum asserat praeceptum. Singulas hypotheses expendamus.

1) Si auctoris sensus primae hypothesei respondet, tunc locutio

illa "B. Virgo huic voluntati divinae sese subicere *debit*", mitiganda esset. Ceterum negatio nudae illius propositionis, quam nemo tuetur, videtur superflua. Aliud igitur videtur auctor intendere.

2) Si auctor negat nudam propositionem, ut verum praeceptum asserat, recte quidem negat (etsi non necessario), non tamen recte videtur asserere seu concludere verum praeceptum. Ratio est manifesta. Ex negatione enim nudae propositionis non colligitur veri praecepti existentia, cum inter utrumque existat terminus medius, nimirum simplex beneplacitum. Nec invocari potest veri praecepti necessitas, ut vera habeatur oboedientia; vera enim oboedientia, immo, ceteris paribus, perfectior, in eo habetur qui superioris beneplacito obsequitur, quam in eo qui praecepto paret.

3) Quod si tandem simplex beneplacitum negat, ut verum praeceptum statuatur, — et ista potest etiam esse auctoris sententia, — dicendum est istam hypothesim, neque in parte negativa neque in parte assertiva, traditioni respondere; quae tam saepe tamque variis modis tenet Deum Virginis consensum exquisisse, sollicitasse, allexisse, numquam autem verum ei praeceptum imposuisse. Et in Lucae narratione ne vestigium quidem talis praecepti reperitur.

Sed, quidquid est, haec duo certe auctor affirmat: quod B. Virgo *libere* oboedivit ("libere Deo obediendo..." n. 274) et quod *debit* oboedire ("sese subicere debuit"). At quomodo ista duo, *libertas* et *debitum*, inter se cohaereant, non satis apparet. Profecto *libertas physica* et *debitum morale* non opponuntur. At non erat ratio cur physica ista libertas tam saepe tamque signanter memoraretur, de qua nemo umquam dubitavit. Contra vero, *debitum* et *libertas moralis*, quae "dicit... immunitatem a vinculo morali seu lege" (LEHMKUHL, *Theol. Mor.*, I, n. 61), sunt prorsus contraria. Ceterum "*liberrima* consensus", quam in loco nuper allato Leo XIII B. Virgini asserit, istud *debitum* respuit, neque mera physica libertate sufficienter explicatur.

Verum ad alia veniendum, quae sunt multo maioris momenti. Quaeritur: quorsum debitam istam oboedientiam auctor commemorat? In toto enim contextu immediate sive praecedenti sive sequenti agit de Virginis consensu. Ne ergo quae de oboedientia inserit, sint velut parenthesis a contextu aliena, concludendum est, auctorem nomine oboedientiae consensum ipsum significare voluisse; ut

ostenderet Virginis consensum aliud non esse nisi debitam Deo oboedientiam, morali libertate destitutam, ideoque ineptam ut vera moralis cooperatio censeatur. Profecto, eo collineat totus contextus (n. 275), ut demonstretur Virginis consensum, sub diversis aspectibus consideratum, moralem cooperationem dici non posse.

Ut auctoris argumentationem eiusque vim apte aestimare possimus, iuverit eam ad syllogisticam formam revocare.

Virginis consensus, inquit, aliud non est nisi debita Deo oboedientia, qua nimirum Virgo Dei voluntati seu praecepto sese subicere debuit; cuius propterea ratio sufficiens in sola praecepti impositione est quaerenda, non vero in aliquo fine a Virgine intento. Atqui talis oboedientia, morali libertate orbata, vera moralis cooperatio censi non potest. Ergo Virginis consensus non fuit moralis cooperatio, ne remota quidem, ab obiectivam redemptionem. Quod erat demonstrandum. Singulas praemissas expendamus.

Maior propositio ex duplici capite laborat, duplicique titulo est neganda. Nam 1), ut nuper dicebamus, illud praeceptum, cui Virgo parere debuerit, est omnino confictum et a Scriptura et a tota Traditione prorsus alienum; 2) etiam tali praecepto permisso, oboedientia non impedit quominus finis a superiore in praecipiendo intentus a subdito quoque intendatur; immo, hoc exigit perfecta oboedientia, quae non modo externum opus, sed internum etiam affectum voluntati superioris accommodat. Solum servilis ac mechanica oboedientia, non vero oboedientia ingenua ac liberalis, valore seu dignitate morali orbatur.

Minor etiam propositio admitti non potest. Quamvis rigorosum praeceptum poneremus, quo consequenter moralis illa libertas tolleretur, non ideo tollitur nec minuitur moralis oboedientiae valor ac dignitas. Alioqui dicendum esset, hominum actus omnes ex divinorum praeceptorum oboedientia positos morali dignitate carere. Quisquis Deo oboedit, etiam rigore, etiam sub gravi praecipiente, praeclare agit estque laude dignissimus. Quod si Dei praeceptum praecise in aliquam cooperationem praestandam cadit, ista cooperatio, non minus ac quilibet alius actus a Deo praeceptus, est actus vere moralis. Quid vero quod multi gravesque theologi, praecise cum de redemptionis opere agunt, tenent rigorosum praeceptum esse Christo a Patre impositum? Si tale praeceptum morali valo-

re oboedientiam privaret, actum esset, ex illorum theologorum sententia, de merito redemptionis.

Non ergo valet auctoris argumentatio, immo efficaciter potest retorqueri. Dicit auctor Virginis consensum cooperationem moralem esse non posse, quod sit actus oboedientiae? Contrarium audenter affirmo: Virginis consensum ideo esse moralem cooperationem ad redemptionem obiectivam, quia, etsi alia ratio non esset, est actus oboedientiae. Assertum probabo.

In opere redemptionis tria sunt elementa consideranda: passiones, oboedientia (et caritas), personae dignitas; nimirum, elementum materiale, elementum morale humanum, elementum theologicum. Haec tria complexus est Apostolus, ad Philippenses scribens: "Qui, cum in forma Dei esset, ... semetipsum exinanivit formam servi accipens; ... et habitu inventus ut homo, humiliavit semetipsum, factus oboediens usque ad mortem, mortem autem crucis" (Philp. 2, 6-8). Sed ad Romanos scribens, eminere facit elementum morale humanum seu oboedientiam: "Per unius oboeditionem, iusti constituentur multi" (Rom. 5, 19). Totum ergo redemptionis opus fuit actus oboedientiae, qui, in ferendis passionibus versatus, divinum valorem est a personae dignitate mutuatus. Iam vero actus oboedientiae cooperatio quae aptior ac melior inveniri aut excogitari potest quam similis oboedientia? Fuerit ergo Virginis consensus pura oboedientia: fuerit pariter optima alterius oboedientiae cooperatio.

Sed sunt in isto plura. Paulus Christi oboedientiam inoboedientiae Adae opponit: "Sicut enim per inoboedientiam unius hominis, peccatores constituti sunt multi: ita et per unius oboeditionem, iusti constituentur multi" (Rom. 5, 19). Atqui Adae inoboedientiae cooperatrix exstitit inoboedientia Evae. Audiamus iterum Apostolum: "Serpens Evam seduxit astutia sua" (2 Cor. 11, 3). "Adam enim primus formatus est, deinde Eva. Et Adam non est seductus: mulier autem seducta in praevaricatione fuit" (1 Tim. 2, 13-14. Cfr. Eccli. 25, 33). Igitur, ex principio recirculationis, oboedientiae Christi cooperatrix fuit Virginis oboedientia. Profecto modus concretus et quasi materialis cooperationis alius fuit, et debebat esse, in Eva, alius in Maria; at formalis ratio cooperationis par erat in utraque. Sicut enim Eva, inoboediens, Adae peccatum determinavit, ita Maria, oboediens, divinorum de humana sa-

lute consiliorum executionem determinavit. Pressius: Dei Filius volebat homo fieri, ut homines salvaret, seu, quod eodem recidit, volebat, factus homo, homines salvare; at nolebat suum exsequi consilium, nisi Maria maternitatis onus libere susciperet. Mariae igitur suum beneplacitum manifestavit; quae humiliter divinae obsequens voluntati, ultimam (ut scholasticorum more loquamur) formalem determinationem posuit divini beneplaciti executioni.

Quare oboedientiae formalitas consensum, non modo non reddit ineptum, verum aptiorem efficit, ut cooperatio moralis existat,

* * *

C. *Consensus repraesentativus*. Ad consensum iterum delabitur auctor, quem considerat ut a Virgine positum nomine totius humanae naturae. "Interdum, inquit, consensus B. Virginis eo sensu explicatur, quod Maria nomine totius generis humani redimendi consensum dederit in Incarnationem et Redemptionem" (n. 275). Duo de hac expositione animadvertenda videntur. Primum, auctor reticet elementum seu formalitatem magni momenti in hoc repraesentativo consensu, nimirum formalitatem mystici connubii, ad quod ineundum requiritur et praestatur consensus. Deinde dicit Virginis consensum exhiberi ut repraesentativum tantum *interdum*. Verius dixisset *frequenter*, si de explicitis textibus agitur; *valde frequenter*, si de implicitis testimoniis. Nolumus longam iterum textuum seriem proferre: duos modo textus afferemus, alterum quo huius repraesentationis antiquitas, alterum quo eius veritas commendatur. S. Ephraem, de Annuntiatione agens, haec scribit: "Deus constituit intercessores angelum et puellam, ut... reconciliatio fieret inter supremos et infimos... Mysterium concreditum est duobus, uni ex utraque parte,... ut rem tractarent et reconciliationem inirent..." (Ed LAMY, v. 5, 974-978). Leo XIII Aquinatis sententiam, virgineo consensui vim repraesentativam tribuentis, vocat "illustrem verissimamque" (loc. cit.).

Hanc sententiam auctor prius hypothetice permittit, contendens tamen nullam ex ea Virginis cooperationem concludi, deinde reiicit. Pauca de singulis.

* * *

“Si ita res concipitur, inquit, vix habetur opus *mediationis* proprie dictum”. Notanda obiter nominis mutatio. Agebatur de *cooperatione*: nulla facta admonitione, fit transitus ad *mediationem*. Per se potest esse vera cooperatio quae non sit mediatio. Ergo, etsi auctor evinceret in repraesentativo Virginis consensu nullam haberi *mediationem*, non ideo intentum probaret, scilicet nullam in eo esse *cooperationem*.

Sequitur: “Sed Maria ut repraesentans alterius partis extremae consensum dedisset, ut reconciliatio per mediatorem fieret. Sicuti Deus volendo reconciliationem cum genere humano per mediatorem Christum non est mediator, ita neque B. Virgo nomine generis humani consentiens, ut tali modo reconciliatio fiat, sensu proprio dici potest mediatrix: Utraque pars extrema et unienda consentiret in eo quod per Christum mediatorem reconciliatio fieret” (n. 275). Duo asserit auctor, et in his duobus suam fundat argumentationem: 1) quod B. Virgo non medium occupet inter duas partes extremas, sed in altera earum comprehendatur: deficit ergo mediatio ontologica; 2) quod reconciliationem nullo modo perficiat Virgo, sed tantum consentiat ut ab altero perficiatur: deficit ergo mediatio moralis. Atqui neutrum istorum potest serio sustineri.

1) Quod B. Virgo nomine generis humani consentiat, non tollit quominus vere media inter ambas partes extremas consistat. Sufficit Christi mediationem inspicere. Christus est Mediator verissimus Deum inter et homines: et tamen idem ipse est et Deus et homo. Ab hoc secundo incipiamus. Christus homo cum humano genere identificatur, non modo, ut Virgo, quatenus (inadaequate) in eo comprehenditur, sed etiam, quod est unius ipsius proprium, quatenus ineffabili modo totum in se genus humanum complectitur seu continet, ut saepissime docet Apostolus. Ergo si auctoris ratio valeret, Christus hominum Mediator esse non posset, et quidem multo minus quam B. Virgo. Consideremus nunc Christum ut Deum. Profecto innuit Paulus et docet Angelicus Christum Mediatorem esse non ut Deum, sed ut hominem. Sed hoc bene est intellegendum. Mediator est, non humana ipsa na-

tura, sed homo, id est persona in humana natura subsistens; persona autem in Christo una est eaque divina. Ergo ad mentem Pauli et Angelici Christus est Mediator, non quidem ut persona divina in divina natura subsistens, sed ut persona, divina quidem, sed subsistens in humana natura. Quae divina persona duobus modis seu duplici ratione in formali mediationis conceptu ingreditur: et quatenus, ut suppositum, mediationis denominationem suscipit, et quatenus infinitum mediationi valorem confert, qui unice ex personae dignitate derivatur. Ergo etiam ut Deus, id est, ut divina persona (quae simul est reconcilianda), Christus non omnino distinguitur a parte divina.

Aliud exemplum, non minus manifestum, praebet Apostolus. Lex, inquit, est "ordinata" (pressius, *disposita*) "in manu mediatoris", id est, Moysi (Gal. 3,19). Moyses ergo mediator erat Deum inter et populum Israel. Nonne tamen in populo Israel comprehendebatur?

Universaliore alia ratione auctoris assertum primum confutatur. Scribit Apostolus: "Omnis namque Pontifex *ex hominibus assumptus, pro hominibus* constituitur in iis quae sunt ad Deum, ut offerat dona et sacrificia pro peccatis" (Hebr. 5,1). Deinde vero, praecise ut hoc sacerdotio fungens, ut sacrificium offerens, Christus dicitur "Novi Testamenti *Mediator*" (Hebr. 9, 15). Unde sic: sacerdos est verus mediator; atqui idem et ex hominibus assumitur et pro hominibus constituitur: ergo hoc, quod ex hominibus assumitur et pro hominibus constituitur, (saltem) non impedit quominus verus mediator existat.

Non libet in re tam aperta diutius immorari. Ad aliud assertum veniamus.

2) Asserit auctor B. Virginem non posse dici mediatricem, quod partium reconciliationem non ipsa perficiat, sed tantum ut a Christo perficiatur consentiat. In re etiam aperta non diutius immorabimur.

Audiat ipse auctor, rem affinem tractans: B. Virgo "apud Filium suum intercedit et ita collationem gratiae impetrat. Revera ergo est *omnium gratiarum mediatrix*" (n. 310). Inter has gratias evidenter comprehenditur gratia actualis peccatorum cum Deo reconciliationis. Quaero: actualement hanc peccatorum cum Deo reconciliationem perficitne ipsa B. Virgo? Minime quidem. Et ta-

men huius gratiae largiendae Virgo est Mediatrix; et ideo est, et tantum ideo est, quia gratiam sua intercessione impetravit, id est, quia intercedendo et impetrando efficacem operam contulit ad illius gratiae largitionem. Igitur, a pari, si Virginis consensus efficacem operam contulit ad obiectivam Dei hominumque reconciliationem, etsi reconciliationem ipsam minime perfecit, vere potest B. Virgo huius reconciliationis esse Mediatrix. Ceterum nemo unquam catholicus dubitavit quin primarius ac principalis huius reconciliationis Mediator unus Christus exstiterit; quod tamen non obstat, ex notissima Angelici sententia (3 q. 26, a. 1, c. et ad 1), quominus alii quoque possint "secundum quid dici mediatores inter Deum et homines, prout scilicet cooperantur ad unionem hominum cum Deo dispositive vel ministerialiter". Quos inter B. Virgo non est una de multis, sed una super omnes; quae singulari suo consensu singularem plane operam ad hominum cum Deo reconciliationem contulerit; quin immo primum quasi gresum seu stadium huius reconciliationis eodem ipsa consensu determinaverit. Post illa verba nuper allata S. Ephraem continenter subiungit: "Descendit angelus ex alto, et locuta est cum eo Virgo, et coeptum est agi de reconciliatione et initum est foedus pacis" (Ib.). Et huiusmodi Patrum dicta proferri possunt innumera: quae inanes esse laudes nemo iure crediderit.

* * *

Concludit auctor totam argumentationem ista animadversione: "Ceterum notandum est: Ut reconciliatio inter pares fieri possit per mediatorem, requiritur quidem ut utraque pars consentiat; sed Deus supremus Dominus a genere humano graviter offensus potuit solus et independenter a consensu generis humani statuere, ut reconciliatio per mediatorem fieret. Argumentum autem strictum, Deum consensum generis humani ad hoc postulasse, vix habetur" (n. 275).

Duo his verbis asserit auctor: alterum, de iure, quod Deus potuit independenter ab hominum consensu modum reconciliationis statuere; alterum, de facto, quod ad hoc vix probatur Deum hominum postulasse consensum. Quoniam vero in his de consensu agitur, non Virginis ipsius, sed universi generis humani, breviter rem absolvemus.

Ad quaestionem de iure, quod attinet, duo distinguantur oportet: et modus seu condiciones reconciliationis, et actualis seu effectiva ipsa reconciliatio. Modum reconciliationis Deus, non modo *potuit* statuere, sed reapse statuit independenter ab omni humano consensu. At vero actualem cum hominibus reconciliationem, utpote reciprocam seu bilateralem, Deus, sapientissime quidem, non vult inire nisi cum homine consentiente; non modo in stadio subiectivae redemptionis, sed etiam in stadio redemptionis obiectivae.

Quod autem de facto Deus ad reconciliationem ineundam consensum hominum postularit, probatur, non vix, sed cumulate, si modo rite intellegitur. Profecto Deus, non tamquam par a pari, sed tamquam Dominus, consensum hominum requisivit; neque formalem seu categoricum, sed mere implicitum seu aequivalentem consensum; neque ab omnibus et singulis, sed ab illis, quos ipse liberrime designavit, quibus consequenter quandam totius humani generis repraesentationem contulit. Non hypothesim proponimus, sed historica facta recensemus. Quorsum enim totum coilineat Vetus Testamentum, nisi ut nuntiatae ac promissae redemptionis ac reconciliationis fidem excitet, exspectationem commoveat, desiderium inflammet? In qua fide, exspectatione ac desiderio verus consensus implicate, seu potius eminenter, includitur seu imbibitur. Aliunde constat ea aetate, qua Deus statuerat salutaria sua consilia exsequi, non modo apud Israelitas, verum apud ipsos etiam gentiles, magnam ubique vigere messianicae salutis exspectationem, ardens desiderium; paratum itaque esse genus humanum, ut Deo, reconciliationem inire volenti, humilem praeberet consensum. Sed ut implicitum istum consensum redderet explicitum ac formalem, ex omnibus hominibus Deus unam benignus elegit Virginem Mariam, quae consequenter universi generis humani locum ac repraesentationem sustinebat. Sacra itaque illa verba, Deo hominibusque iucunda: "*Ecce ancilla Domini: fiat mihi secundum verbum tuum*", dum profert Virgo Maria, expetitur exspectatumque consensum praebruit: quo prolato, Deus *obiectivae* redemptionis opus statim inaugurat; quo proferendo Virgo Maria vera existit obiectivae redemptionis moralis copetratrix, vera Dei hominumque Mediatrix.

* * *

Unum virgineae cooperationis ad *obiectivam* redemptionem adspectum seu problema perpendimus ac studiose discussimus. At in hoc uno tractando problemate integrum auctoris systema huiusque systematis fundamenta attigimus. Totum hoc systema uno quasi intuitu complectamur.

Duo sunt in hoc systemate discernenda, quae tamen artissimo nexu sunt inter se conserta: doctrina et methodus.

Doctrina continet et affirmationes (seu concessionem) et negationes (seu exclusiones). Virgini conceditur et remota cooperatio, sive physica sive moralis, ad *obiectivam* redemptionem, et ampla cooperatio moralis ad *subiectivam*; eidem negatur omnino quaelibet cooperatio proxima, et physica et moralis, ad redemptionem *obiectivam*.

Methodus seu ars haec est: concessis uti ad exclusiones stabilendas. Ad scopum istum assequendum duo adhibentur principia: 1) invehitur nova distinctio *obiectivam* inter et *subiectivam* redemptionem: quae duplex redemptio quasi duplex *quantitas homogenea tractatur*; 2) exaggeratur rationale postulatum, quod nimirum proxima cooperatio sit intrinsecus contradictoria.

Ope huius artis, scite tractatae, omnes facile expediuntur difficultates contrariae. Opponuntur, exempli causa, textus patristici, qui proximam cooperationem sonant ad *obiectivam* redemptionem? Accurrit statim postulatum illud, quod omnem viam praeccludit ad textum interpretandum de proxima cooperatione ad *obiectivam* redemptionem. Hac via praecclusa, simul duae aliae viae aperiuntur, pro opportunitate eligendae. Si textus nimis aperte *obiectivam* redemptionem clamat, usurpatur ista formula, totidem verbis saepius iterata: "cooperatio remota in ordine physico ad redemptionem *obiectivam*" (nn. 178, 181, 184, 186, 197...). Quod si nimis aperte dicitur proxima et moralis, praesto est illa comoda "subiectiva redemptio", cuius ope incommodus textus de cooperatione ad istam redemptionem intellegitur.

Hac arte seu dialectica methodo, ceteris omnibus eliminatis, ista duo remanent: remota cooperatio physica et moralis ad *obiectivam*, et proxima moralis cooperatio ad *subiectivam* redemptionem. Sed, quoniam remota illa physica tandem non est nisi phy-

sica maternitas, moralis vero per preces et merita sit adeo levis, non restat denique alia ad obiectivam redemptionem cooperatio nisi haec una: physica generatio illius qui futurus est Redemptor. Disertis verbis fatetur auctor, dum scribit: "Ergo per fructum ventris Mariae redempti sumus: cooperatio remota in ordine physico ad redemptionem obiectivam" (n. 197).

Iam vero duo huius methodi principia seu fundamenta in superioribus confutavimus. Ostendimus invectam illam divisionem redemptionis obiectivae et subiectivae in sensu proposito non esse legitimam. Conflictam vero contradictionem in proxima cooperatione ad obiectivam redemptionem ostendimus aut esse nullam aut ad remotam pariter cooperationem extendi: non igitur posse nobis opponi; multoque minus aptum esse criterium ad patristicos textus interpretandos. Illud vero potissimum conati sumus ostendere illam *remotam physicam* cooperationem, unicam ab auctore admissam, nequaquam esse mere physicam, sed moralem etiam esse dicendam, immo in quodam vero sensu proximam seu directam. Quae si vera sunt, integrum auctoris systema iam stare non potest.

Huic deficienti systemati aliud verius ac profundius est opponendum, cuius en summa lineamenta. Basis omnis virgineae cooperationis ad obiectivam redemptionem est profecto Redemptoris maternitas. Non bene igitur agunt, qui Virginis cooperationem alio avocant. At ista maternitas, praeter naturalem generationem, duo alia elementa importat seu duabus aliis proprietatibus investitur. Primum elementum est illius vis salutifera seu significatio soteriologica. Nimirum Redemptoris maternitas non modo a Deo tota ordinatur et assumitur ad divina consilia salutaria exsequenda, sed huius executionis est primus quasi gressus, est verum humanae "salutis exordium". Quemadmodum Dei Filius "propter nos homines et propter nostram salutem... incarnatus est... ex Maria Virgine", ita vicissim Virgo Maria propter nos homines et propter nostram salutem Dei Filium concepit et peperit. Talem constanter Sancti Patres virgineam Redemptoris maternitatem concipiunt. Alterum maternitatis elementum est moralis ipsius aspectus; qui, si tanti est momenti in humana omni maternitate, multo maioris est momenti in singulari ac prorsus unica Virginis maternitate; quam maternitatem Virgo Maria, sciens

ac prudens, concipiendum Filium ante cognoscens, futurum hominum Redemptorem intellegens, liberrimo simul consensu, humilli oboedientia fervidisque votis suscepit. Virgineum illud "*Fiat*" est, uno verbo, datus toto corde consensus. Et isto dando consensu Maria Virgo in activum consortium obiectivae redemptionis assumitur.

Altius mysterium intueamur. Totum redemptionis opus, a Christo peractum, est unum. Illa prima voluntas Christi, mundum ingredientis, iam tum mortem crucis respiciebat et amplectebatur, quemadmodum docet Apostolus: "In qua voluntate sanctificati sumus per oblationem corporis Iesu Christi <in> semel" (Hebr. 10, 5-10). Voluntas et mors, duo quasi extrema, tempore distantia, in unum et unicum coeunt sacrificium. Tota vita Christi nostram redemptionem quasi per modum unius operata est. Aliunde tamen negari non potest quin huius operis consummatio, actus definitivus et quasi culmen, sacrificium crucis exstiterit. Modo partim simili partim inverso virginea cooperatio concipienda est. Virginis consensus, et ut consensus, et ut optatio, et ut oboedientia, integram divinorum consiliorum executionem, integram humanae salutis oeconomiam, integrum redemptionis opus, simul et semel complexus est: totam igitur redemptionem *eatenus* attigit, *quatenus* sua *propria* efficacitate (id est, efficacitate propria consensus, intentionis, optationis) eam determinavit. Una est itaque Virginis ad redemptionem cooperatio; quae, non in fine, ut Christi redemptio, sed in ipso principio, in consensu, inquam, suum actum potissimum seu momentum potissimum et quasi suum culmen obtinuit: cuius deinceps consensus est prolongatio quaedam seu extensio, actuatio et derivatio, omnis reliqua Virginis cooperatio ad opus redemptionis. Quenam ista subsequens cooperatio fuerit, non est nunc definiendum: illud tamen audemus dicere, omnem Virgini adscriptam cooperationem, si a maternitate moraliter concepta et a consensu divellatur, deficienter concipi et obiectivae veritati minime respondere. Censemusque controversias, quae de Virginis cooperatione in obiectivam redemptionem, recens sunt ortae, non tam acres fuisse futuras, si utraque pars litigans, alio avocans totam quaestionem, Virginis consensum non ita neglexisset et quasi in umbra reliquisset. Et si qua spes conciliationis affulget, inde solum obtineri potest, quod utrique gravissimum virginei consen-

sus momentum et expendant et agnoscant. Tunc Virginis cooperationem "iuxta crucem" et alii in meliore lumine collocabunt, et alii facilius complectentur.

Iamque satis. Hanc moralis maternitatis ideam, quam unam tenemus et Scripturae et Traditioni plene respondere, ideo breviter adumbravimus, ut ei ex adverso posita "cooperatio remota in ordine physico ad redemptionem obiectivam" melius intellegi aptiusque aestimari queat.

IOSEPH M. BOVER, S. I.

Barcinone, die festo Annuntiationis, 25 Mart. 1940.